

Finito Versu dicitur *Gloria in excelsis*. Deinde

**V.** Dñus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

**Oratio.** Oremus.

**D**eus, qui tribus pœris mitigasti flammam ignem: concede propitius; ut nos famulos tuos non exurat flammam vitiorum. Per Dñum.

Secunda Oratio. *Ecclesia*, vel pro Papa, p. 158.

**Lect.** Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Romános, 5.

**F**rateres: Justificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum: per quem et habemus accessum per fidem in grátiam istam, in qua stamus, et gloriámur in spe glóriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatióibus: sciéntes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probatiónem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

**Tractus.** *Ps. 116.* Laudate Dóminum omnes gentes: et collaudate eum omnes pópuli. **V.** Quóniam confirmata est super nos misericórdia

ejus: et veritas Dómini manet in ætérnum.

**SEQUENTIA.** *Veni sancte Spiritus*, ut supra in Dominica, p. 294; sed in fine non dicitur *Alleluia*.

**EVANGELIUM.** *Surgens Jesus de synagoga*, ut in Feria v. post Domin. III. Quadrag. p. 107.

**Offertorium.** *Ps. 37.* Dómine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te: intret oratio mea in conspectu tuo Dómine, alleluia.

**Secreta.** Ut accepta tibi sint, Dómine, nostra júria: præsta nobis, quæsumus; hujus muneris sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per Dóminum.

Altera **Secreta.** *Præte nos*, vel *Oblatis*, p. 159.

**Communio.** *Joann. 3.* Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, alleluia, alleluia: sed necis unde véniat, aut quo vadat, alleluia, alleluia, alleluia.

**Postcommunio.** Præbeant nobis, Dómine, divinum tua sancta fervorem: quo eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per Dóminum nostrum.

Altera **Postcomm.** *Quæsumus Dómine*, vel *Hæ nos*, p. 159.

¶ Post Missam expiratempus Paschale.



## In festo S.S. Trinitatis.

**Introitus.** *Tobie 12.*

**D**enedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: con-

fitébitur ei, quia fecit nobiscum misericórdiam suam. *Ps.* Dñe Dñus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! **V.** Glória Patri.

**Oratio.** Omnipotens sempitérne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessiõe veræ fidei, æternæ Trinitatis glóriam agnoscere, et in potentia majestátis adorare unitatem: quæsumus; ut ejusdem fidei firmitate, ab ómnibus semper muniamur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit **Commem.** de Dominica I. post Pentecosten.

**Oratio.** *Deus in te sperantium*, p. 308.

**Lect.** Epistolæ B. Pauli Apost. ad Romános, 11. d.

**O** altitudo divitiarum sapientiæ, et sciéntiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognóvit sensum Dómini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuétur ei? Quóniam est ipso, et per ipsum, et in ipso sunt ómnia: ipsi glória in sæcula. Amen.

**Graduale.** *Dan. 3.* Benedictus es, Dómine, qui intueris abyssos, et sedes super Chérubim. **V.** Benedictus es, Dñe, in firmamento caeli, et laudábilis in sæcula. Alleluia, alleluia. **V.** Benedictus es, Dñe Deus patrum nostrórum: et laudábilis in sæcula. Alle.

Seq. sancti **Evangelii** secundum Matthæum, 28. d.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis po-



téstas in caelo, et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes; baptizántes eos in nómine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docéntes eos serváre ómnia quaecúmque mandávi vobis. Et ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus, usque ad consummationem sæculi. CREDO.

**Offertorium. Tobie 12.** Benedíctus sit Deus Pater, unigenítusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus: quia fecit nobiscum misericórdiam suam.

**Sécréta.** Sanctifica, quæsumus Dómine Deus noster, per tui sancti nóminis invocatiónem, huius oblatiósni hóstiam: et per eam nosmetipsos

tibi pèrface munus aeternum. Per Dóminum.

Pro Dominica. Secreta. *Hóstias*, p. 310.

PRÆFATIO. *Qui cum unigenito Filio tuo*, p. 249.

**Communio. Tobie 12.** Benedicimus Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobiscum misericórdiam suam.

**Postcommunio.** Proficiat nobis ad salutem corpóris et animæ, Dómine Deus noster, huius sacraménti susceptio: et sempiternæ sanctæ Trinitátis, ejusdemque indivisiuæ unitátis confessio. Per Dóminum.

Pro Dominica. Postcomm. *Tantis, Dómine*, p. 310.

In fine Missæ legitur Evangelium Dominicæ sequentis ut infra, p. 310.

## Dominica i. post Pentecosten.

**Introitus.** *Ps. 12.*



Omne, in tua misericórdia sperávi: exsultávit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino, qui bona tribuit mihi. *Ps. ib.* Usquequo Dómine obliviscéris me in finem? úsquequo avértis faciém tuam a me? *V. Glória Patri.*

**Oratio.** Deus in te sperántium fortitúdo, adésto propitijs invocatió-

nibus nostris: et quia sine te nihil potest mortális infirmitas, præsta auxiliúm grátie tuæ; ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi, et actiõe pleacéamus. Per Dóminum.

Ad poscenda suffragia Sanctórum. *Oratio. A civitatibus*, p. [80].

Et dicitur in Missis tam de Tempore, quam de Sanctis, usque ad Adv., nisi sit duplex, vel infra Octavam. Tertia vero Oratio dicatur ad libitum Sacerdotis.

**Lect. Epist. beati Joánis Apostoli. 1. 4. b.**

**C**arissimi: Deus caritatis est. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quóniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quóniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Carissimi, si sic Deus dilexit nos: et nos debémus alterútrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligámus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognóscimus, quóniam in eo manémus, et ipse in nobis: quóniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificámur quóniam Pater misit Filium suum Salvatórem mundi. Quisquis confessus fuerit, quóniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus, et credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fidúciam habéamus in die júdicii: quia sicut

ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate: sed perfecta caritas foras mittit timórem, quóniam timor penam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quóniam diligo Deum, et fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quómodo potest diligere? Et hoc mandátum habémus a Deo: ut qui diligit Deum, diliget et fratrem suum.

**Graduale. Ps. 40.** Ego dixi, Dñe miserere mei: sana animá meam, quia peccávi tibi. *V. Beatus qui intelligit super egenum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. Allelúia, allelú. V. Ps. 5.* Verba mea úribus percípe Dñe: intellige clamórem meum. *Allel. Seq. sancti Evangelii secundum Lucam. 6.*

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite iudicare, et non iudicámini: nolite condemnare, et non condemnámini. Dimittite, et di-



mittimini. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo : ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo : et tunc perspices, ut educas festucam de oculo fratris tui.

CREDO.



**Offertorium.** *Ps. 5.* Intende voci orationis meæ, rex meus, et Deus meus : quoniam ad te orabo, Domine.

**Secreta.** Hostias nostras, quaesumus Domine, tibi dicatas placatus assume : et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. *Secreta. Exaudi nos,* p. [80].

Tertia ad libitum Sacerdotis.

**Communio.** *Ps. 9.* Narrabo omnia mirabilia tua : lætabor, et exultabo in te : psallam nomini tuo, Altissime.

**Postcommunio.** Tantis, Domine, repleti munibus : præsta quaesumus; ut et salutaria dona capiamus, et a tua nunquam laude cessemus. Per Dominum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. *Postcommunio.*

*Miscet.* p. [80].

Tertia ad libitum Sacerdotis.

In solemnitate Corporis

—\*— Christi. —\*—